

Phœbea pulchrè decoraris tempora lauro  
 SCHROEDERÆ, eximij pars veneranda chori.  
 Assensere patres Tibiæ præclara palæstræ  
 Lumina, concordēs dum tua vota probant.  
 Hæc operæ pretium est, exantlatiq; laboris,  
 Hæc studijs sola est meta petita diu.  
 Veros sedulitas nam docta meretur honores,  
 Et veniunt vno lausq; laborq; iugo.  
 Iamq; dies roseo se pandit candidus ortu,  
 Quo cingunt nitidæ ferta decora comas.  
 Annulus obsignat veros quo pulcher honores,  
 Sublimiq; patet celsa cathedra gradu.  
 Hæc esto sacra dies, celebrandaq; semper,  
 Eius & ad signum calculus albus eat.  
 Gaudia quanta tuis, solatia quanta creabis,  
 Quod clarus medica Doctor in arte redis?  
 Te meritò dicent fausto sub sidere natum,  
 Dum tibi propitius summus Apollo fauet.  
 Et quem te referam, tibi quæ præconia dicam?  
 Dotes, virtutes miror, & artis opus.  
 Quod lapsas reddis nimirum in pristina vires,  
 Miscendo docta pharmaca certa manu,  
 Et medium cursum cymbæ senioris onusta,  
 Quam potis es medica sistere tutò manu.  
 Siftis, & insidias varias squalore Charontis  
 Terribili prudens cum ratione canes.  
 Quod supest, faxit, qui cuncta gubernat olympo,  
 Vt voto cedant omnia fata tuo.  
 Serius vt viuas, DOCTOR, viuasq; iocosus,  
 Et sis Stiberi, sicut es antè, memor.  
 Sic tua non vilo marcescet tempore virtus,  
 Sic ægris semper dulce leuamen eris.

M. Bernhardus Stiberus Rosen-  
 burgius Fr.



*Elegia funebris:*

DE VITA ET O-  
 BITV CLARISSIMI  
 VIRI, PIETATE, ERVDITIO-  
 ne, virtute, autoritate, & meritis in Ecclesiam & Rem-  
 pub. præstantis, Dn. IOHANNIS SCHNEIDEVVEI-  
 NI, I. V. Doctoris & Professoris (beatæ memo-  
 riæ) per annos 17. in inclyta Academia VVite-  
 bergensi; gratitudinis ergò scripta

à

MARTINO HENRICO SAGANENSI,  
 Theologiae L. & Professore in Acade-  
 mia VVitebergenfi.

Natus est anno Christi 1519. 20. Decembris,  
 Obiit 1568. 4. Decembris.



VITAE BERGAE  
 Ex Officina typographica Simonis Gronenbergii.  
 M. D. LXXXIII.

# NOBILITATE GENERIS, ERVDITI-

QNE, SAPIENTIA, VIRTUTE, AVTHORI-  
tate, & meritis erga rempublicam excellentiss: & clariss:  
viro, Dn. IOACHIMO à BEVST, in Planitz, I. V.  
Doctori, & Profess: in Academia VVitebergensi, Illustriss:  
& Clementiss: Principis ac Domini, Domini AVGVSTI,  
Electoris Saxonie &c. Consiliario intimo, & Consistorij  
Dresdensis superioris Assessori vigilantissimo, Do-  
mino Meccenati & Compatri suo, omni  
obseruantia colendo,  
S. D.



VMME Vir, ingenio prestans, & Apollinis arte,  
Quem studio insignem reddidit ipsa Themis:  
Mensibus exactis agitur bis septimus annus,  
Eximium quando fata tulere virum  
Oenotomum, sacri quem docta scientia iuris  
Ornabat, morum iustitiarq; decus.  
Vita, fides, & fama viri fuit integra, & omni  
Labe carens, & mens nescia fraudis erat.

Qui tecum docuit sinuosa volumina Legum  
Hic vbi Leucoreos Albis inundat agros.  
Cuius erat cunctos studium & mens prompta iuuandi,  
Profuit hic studiis, consuluitq; meis.  
Dignum laude virum prohibet farunda Camænis  
Musa mori, Varum fata mouetq; labor.  
Hunc quoq; nulla virum memori lux eximet æuo,  
Semper in ore frequens posteritatis erit.  
Hæc mea Meccenas gratam testantia mentem  
Carmina suscipias corde fauente precor.  
Sic cum munifico longos feliciter annos  
AVGVSTO incolumis Principe viue, vale.



Martinus Henricus Theologiae L.

533377

# ELEGIA FVNEBRIS:



Ecce sub hoc Iani requiescunt mem-  
bra sepulchro  
O Enotomi, sed mens incolit astra  
poli.  
Qui fuerit, quæ vita viri, quæ fata  
suprema,  
Accipe posteritas, si qua super-  
stes eris.

Patria Stolberga est inter celebrata Cheruscos,  
Diues vbi argenti flumine vena fluit,  
Ditior at puro diuini lumine verbi,  
Et studio claris ac pietate viris.  
Hæc vbi vitales nascenti præbuit auras,  
Sacra Thomæ media est connumerata dies.  
Anno, quo celebrem regni de rebus habebas  
Conuentum Augustæ Maxmyliane tuum.  
Quo clarus meritis ac religione Melanchthon  
Leucoræ subijt clara Lycea scholæ.  
Cuius adhuc obitum Pietas, Musæq; dolentes  
Semina jam luctus alta prioris habent.  
Integritate graues & religione parentes  
Hunc ibi legitimo progenere thoro.  
In patria primis & adhuc crescentibus annis  
Grammaticæ didicit prima elementa puer.  
Cura fuit timuisse Deum, coluisse parentes,  
Et præceptores patris habere loco.

12

Tunc

Tunc puero pietas recto cum jure placebat,  
 Iusticia inq̃ suum sancta trahabat opus.  
 Donec adhuc primi florebat temporis ætas,  
 Addideratq̃ annos ad duo lustra duos:  
 Anno quoq̃ fidem Christi q̃ fatentia laudes  
 Carolus Augustæ scripta diserta capit:  
 Leucoream jussu patris peruenit in urbem,  
 Reddita jam verbo lux ubi clara fuit.  
 Hunc præstans animis, pietate, fideq̃ Lutherus  
 Commissum victu junxerat ipse sibi.  
 Ipsius hinc Vito Theodoro cura regendi  
 Et studia, & mores, actaq̃ cuncta datur,  
 Sedulus excepit qui scripta & dicta Lutheri,  
 Et ciues docuit Noricaberga tuos.  
 Audiit hic summos doctrinatione docentes  
 Insignes meritis, & pietate viros:  
 Præcipue coluit merita pietate Lutherum,  
 Teq̃ velut charum doctæ Philippe patrem.  
 His erat & charus ceu filius, huius honores  
 Et studia, & curæ his commoda semper erant.  
 Et cum juris amans, rectiq̃ aquabilis esset,  
 Ætatis reliquum juris in arte dedit.  
 Iamq̃ decem vitæ numerans geminauerat annos,  
 Legitimi subijt fœdera sacra thori.  
 Iunctaq̃ felici lecto fuit Anna jugali,  
 Gratia cui placidum nomen habere dedit.  
 Fecerat hæc ipsum ter fœna prole parentem,  
 Quæ Duringiaco stemmate nata fuit.



Pars

Pars media in Domino terris erepta quiescit,  
 Viuere sed reliquos fata benigna sinunt.  
 Tradidit hos opera institui cura q̃ fideli,  
 Moribus & studiis cum pietate bonis.  
 Sic Deus ipse suo benedicit numine largo,  
 Illum sincera qui pietate timent.  
 Namq̃ pio verbi studio, precibusq̃, fideq̃  
 Assidua coluit relligione Deum.  
 Ac summo studio sacra Biblia sæpe reuoluit,  
 Scriptaq̃ quæ sensus exposuere sacros.  
 Iusticiæ prius, dubium, mirerné sacrorum;  
 Dum certat juris cum pietate decus.  
 Omnia perdidicit sinuosa volumina legum,  
 Et quod habet Baldus, Bartole quicquid habes.  
 Iamq̃ duos quinis lustris superaddidit annos,  
 Liberiorq̃ viro jam modò sumpta toga est:  
 Publica firmata est ipsi sententia juris,  
 Iusq̃ alios posthac jura docere datum est.  
 Mox Schwartzburgiacam venit accersitus in aulam,  
 Consiliis Comites adiuvat atq̃ fide.  
 At cum sex lustris vnum superaddidit annum,  
 Albiacæ repetit clara Lycea scholæ.  
 Primaq̃ Romani declarat semina juris,  
 Quæ collecta velut Biblia parua manent.  
 Septenisq̃ duos lustris superaddidit annos,  
 Firmior atq̃ ætas fecerat esse virum.  
 Huic ubi Doctoris confert insignia juris  
 Ianus Trautbuliæ gloria magna domus.

A 3

Sic

Sic igitur legum studio præcepta fideli  
Cum binis annis per tria lustra docet.  
Dum quid sit rectum, quid iniquum è lumine verbi,  
Et iuris, facili dexteritate videt.  
Ipse sed inprimis observantissimus æqui,  
Commendans juris dogmata, iustus erat.  
Suscipere infantum, & viduarum sponte solebat  
Et pupillorum mite patrocinium.  
Inculcata fides & vita, negotia rerum  
Prorsus ab integro mouit iniqua viro.  
Officiòq; suo cunctis inseruit, idem  
Diuitibus promptus, pauperibusq; fuit.  
Sic commune bonum fuit his regionibus, omnes  
Dum, quacumq; potest parte iuuare, iuuat.  
Vnde viri virtus benefactaq; laude vebuntur,  
Illius & meritis gloria digna viget.  
Vnde per Europæ fama celeberrimus vrbes  
Nobile perpetuo tempore nomen habet.  
Lustra nouem vitæ cum quatuor egerat annis,  
Tunc Deus hunc vitæ de statione vocat.  
Natalis Christi post secula quing' ter, annos  
Sexaginta octo, quarta decembris erat,  
Hunc ubi Zerbiciam magnis de rebus in aulam  
Aduocat Ascania prouida cura Ducis,  
Tunc subito curis, duro & molimine rerum,  
Et valido morbi pondere fractus obit.  
Commendans animam, didicit cui fidere, Christo,  
Pectore quem coluit, voce professus erat.


Sic

Sic benè compositis sopito in pectore palmis  
In Domino clausit fata suprema Deo.  
Felix qui terris lumen vitale relinquit  
Innitens Domino non dubitante fide.  
Sic Deus ipse solet misera è certamine vitæ,  
Omnibus ærumnis eripuisse suos.  
At tibi nos meritò lachrymas libamus adempto,  
Quodq; licet, memores carmina iure damus.  
Carmina iure damus gratam testantia mentem,  
Vt tua venturi nomina Iane legant.  
Nam labor & pietas, benefactaq; digna relatu  
A sera laudem posteritate ferent.  
Coniugis at pietas, & docti cura senatus  
Officium extincto præstitit omne tibi.  
Fecere exequias & magni funus honoris,  
Corporis exuias deposuere tui.  
Spiritus ætheream rediit reuocatus in aulam,  
Inq; manu viuit contuituq; Dei.  
Arida sed tellus demortua membra recepit  
Corporis, & tumulo condidit vt thalamo.  
Hoc veluti gremio molli concepta fouentur,  
Quæ diuinæ animæ sacra fuere domus.  
Arci contigua requiescunt ade sacrata,  
Non procul à tumulo magne Lutheræ tuo.  
Hæc ceu depositum tibi credita terra sequestro  
Contege non dubia contumulata fide.  
Iusta modo veniant exacti tempora mundi,  
Omnia complebit cum sua dicta Deus.

Hæc



*Hæc sua tunc Dominus non immemor ipse requireret  
 Munera, quæ vultus condita imago sui.  
 Tunc hominis reddas vterò patefacta necesse est,  
 Qualis erit quondam tradita formatibi.  
 Mors igitur non mors, mors hæc reparatio vitæ est,  
 Transitus ad cæli est gaudia mortis iter.  
 Mortua cœu rursus reuivescunt atq; sepulta  
 Semina, sub terris quæ jacuere prius:  
 Reddita sed fibris veteres meditantur aristas,  
 Et viridi tollunt molle cacumen humo:  
 Sic erit, vt tumulis putrefacta cadauera surgant,  
 Voce, reuiviscant, membra sepulta, DEI,  
 Et rediuiua suas animas comitata priores  
 Pristina erant letis mentibus illa domus.  
 Inq; Deo viuent mens & caro juncta per æuum  
 Laudibus æternum concelebrando Deum.*



CHRISTIANI

EGENOLPHI P. L.

EXSVLIS.

ΕΙΛΟΘΗCΙΑ.

valedictoria.



VVITEBERGAE,  
 Typis Antonij Schön.

M. D. XXCIV.

4p 42323

## Heinrich Martin

Elegia funebris: De Vita Et Obitu Clarissimi Viri [...] Dn. Iohannis Schneidevvinii [...] Per annos 17. in inclyta Ademia Vvitebergensi: gratitudinis ergo scripta [...]. Natus est anno Christi 1519. 20. Decembris Pbiit 1568. 4. Decembris.

Vitebergae, Ex Officina typographica Simonis Gronenbergii, 1583. 8°

BU Wrocław 533317

MIKROFILM 35 mm

negatyw *1/1* zwł

scenariusz — *1/1*